

## NOTITIA EX CONCILIIIS MANSI.

(Tom. XXI, col. 389.)

Innocentius secundus, nobili familia Romæ natus, Gregorii nomine ante pontificatum appellatus, cujus vita et fama, teste sancto Bernardo in epistola ad episcopos Aquitanicæ, nullum æmulum timent, ex cardinale diacono Sancti Angeli, legitima et canonica electione prævia, potissimum suffragantium cardinalium voto creatus est successor Honorii secundi, decimo sexto Kalendas Martii, die eodem quo Honorius defunctus est, anno Domini 1130, tempore Lotharii imperatoris. Una pars cardinalium paucissimum, Petrum cardinalem Leonis potentissimi civis Romani filium, hominem, teste Bernardo, epistola 127, nec unius viculi potestate dignum, schismaticum antipapam crearunt, eique Analeti, ut ait sanctus Bernardus epistola 124, Antichristi et abominationis nomen imposuerunt, maximoque schismati causam dederunt. Cui dum Innocentius, inquit Frisingensis, propter violentiam amicorum ejus qui in Urbe erant, et potentiam Rogerii Siculi, cujus favore in sedem intrusus fuerat, resistere non valeret, transcens Alpibus, in Franciam se contulit, celebratisque ibidem Remensi, Claromontano, et Pisano conciliis, antipapam ejusque fautores excommunicavit. Inde comitatu sancti Bernardi abbatis stipatus, Leodium profectus, convocata ibidem episcoporum synodo, Lotharium regem ad defensionem Romanæ Ecclesiæ invitavit. Cumque ista occasione Lotharius Cæsar investituras magno cum detrimento imperii Ecclesiæ restitutas sibi reddi frustra postulasset, nihilque se a pontifice impetrare posse cognovisset, auxilium quod petebatur promisit et attulit.

Nam, cum Urbem vix ingressus fuisset, Rogerium omnesque schismatici fautores oppressit et fugavit: cumque Innocentium septimo anno quam ab Urbe in Galliam et Germaniam discessisset, sedi et Urbi restituisset, in ecclesia Sancti Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, ab eodem coronatus imperator et Augusti nomen adeptus fuit. — Hæc ex Frisingensi, Viterbiensi, Roberto continuatore Sigeberti, et abbate Urspergensi.

Hujus temporibus Petrus Abailardus, hæresiarcha Britannus, et summus philosophus, docebat præter Deum aliquid externum, et inter Creatorem et creaturam tertium aliquid esse constituendum: Christum non assumpsisse carnem, ut hominem liberaret: timorem Domini castum non esse in futuro sæculo. De Trinitate Arium, de persona Christi Nestorium, de gratia Pelagium, deque aliis pluribus hæresibus plures alios hæricos sectabatur. — Sanctus Bernardus in epist. et Petrus de Lutzemburgo.

Hoc eodem tempore Petrus de Bruiis Sacramentarios Petrobusianos et apostolicos multis erroribus deformes creavit. — Petrus Cluniacensis epistola secunda, et alibi; Bernardus epistola 241, etc. Lotharius post restitutum Innocentium ex Italia rediens, apud Tridentum, ut Frisingensis, apud Veronam, ut Viterbiensis ait, morbo correptus, in ipsis montibus in vilissima casa imperator potentissimus miseram humanæ conditionis relinquens memoriam, anno regni sui decimo tertio obiit. Per electionem principum, in conventu Mogunticæ celebrato, designatus est successor regni Couradus dux Suevorum, Henrici imperatoris IV ex sorore nepos.

Circa eadem tempora, anno octavo postquam sedem apostolicam invaserat, Petrus sive Analetus pseudopontifex, Dei judicio, auctore Roberto continuatore Sigeberti, percussus obiit. Cumque ab eo ordinatos degradari, nec ultra ad sacros ordines promoveri Innocentius pontifex decrevisset, ejus sectarii cardinales alium quemdam Victorem IV in schismate subrogarunt. Verum cum pauculos menses sedem detinuisset, auctore sancto Bernardo, qui septem annos in hoc schismate tollendo desudavit, pontificatum ultro resignavit. Post hæc innocentis vitæ famæque integerrimæ pontifex Innocentius obiit octavo Kalendas Octobris, anno Domini 1143, cum sedisset annos quatuordecim, menses septem, dies octo. Urspergensis in Chronico scribit eum annos duntaxat tredecim, menses septem, pontificiam sedem obtinuisse.